



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

1. Qvædam præambula ad ea, quæ inferius tractanda sunt. Et in primis
quæritur, an DD. Inquisitores possint condemnare ad pœnam triremium,
fustigationis, &c. reos abiurantes tantum de levi? Et an ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

vel tutam. Ita Delrius, & hanc opinionem docet etiam Ioannes Sancius in *selectis disput.* 44. num. 72. *in fine*, ubi sic ait: Animadvertant quoque Iurisperiti, non ob id subijci syndicatum, quod iuxta opinionem probabilem sententiam ferant, relicta probabiliori, & communiori. Nam prudenter agit, qui iuxta opinionem probabilem operatur; syndicare autem iudicem

eo quod iuxta probabilem opinionem sententiam tulerit, esset eum punire absque culpa, quod necesse iniquum est, & oppositum recte rationi; quapropter Doctores oppositum sentientes rejiciendi sunt, velat punctum veritatis minimè attingentes, certè namque in principiis moralibus minus fidendum est de Iurisperitis, quàm de Theologis. Hæc Sancius.



TRACTATUS DVODECIMVS, DE POENIS DELICTORVM PERTINENTIVM AD TRIBVNAL SACRÆ INQVIVISIONIS.

RESOLVTIO PRIMA.

Quedam præambula ad ea, quæ inferius tractanda sunt?

Et in primis queritur, an DD. Inquisitores possint condemnare ad poenam tritemium, suscitigationis, &c. reos, abjurantes tantum de levi?

Et an quando ex aliquo delicto oritur vehemens suspicio, debeant Inquisitores semper imponere abjuramentum de vehementi?

Et quanam sint poenæ hæreticis à jure impostæ? Ex p. 4. tract. 7. Resol. etiam 1.

S. I.  **CTVRVS** de poenis criminis ad sacrum Tribunal spectantium, aliqua præmittenda esse duxi; igitur.

Quaro primò, an DD. Inquisitores possint condemnare ad poenam tritemium, suscitigationis, &c. reos abjurantes tantum de levi? Respondet negativè Michaël Zanardus ex Illustri Dominicanorum familia, qui fuit Consultor S. Officij in multis Inquisitionibus Italiæ; sic enim asserit in *direct. Theolog. part. 3. cap. 134. fol. mibi 737*. Qui de levi abjurant, gravibus poenis non affliguntur, sed poenis pecuniariis, vel carceris per aliquot menses, vel alterius publicæ poenitentiae non multum gravis; sed qui de vehementi abjurant, suscitigari possunt, trium iæctum funis poena puniri, per annos ad carcerem & ad tritemes, iuxta qualitatē personæ ac delicti, damnari. Ita ille, & hanc sententiam etiam docet Genuensis in *praxi Archiepisc. cap. 68. num. 8*. asserit. Leviter suspectis imponi potest poenitentia salutaria, & vehementer suspectis poena tritemium. Verum praxis nostræ Inquisitionis Hispan. est in contrarium, & sic inferius dicemus quod ducentes duas uxores abjurant de levi, & tamen suscitigantur, & damnantur ad tritemes; & sollicitantes in confessione abjurant de levi, & tamen aliquando damnantur ad tritemes, sic etiam blasphemii, &c. Vnde Castrus Palaus in *sum. tom. 1. tract. 4. disput. 7. punct. 1. num. 9*. sic asserit. Inferior pro crimine inducente levem suspensionem: condemnari reum posse ad aliquam poenitentiam, vel pecuniariam,

vel reclusionis pro aliquo tempore, vel suscitigationis, vel tritemis arbitrio Inquisitorum, pensata qualitate personæ, & gravitate delicti & malitiæ. Ita ille; quibus etiam poenis, sed acutius in nostro Tribunali Hispanico puniuntur etiam vehementer suspecti de hæresi, ut tradit ipsemet Palaus *disput. 6. punct. 2. num. 1*. & Rojas de heret. *part. 2. n. 301*.

2. Queritur secundò, an quando ex aliquo delicto oritur vehemens suspicio, debeant Inquisitores semper imponere abjuramentum de vehementi? Videtur affirmativè respondendum, ex doctrina quam adducit Ricciullus *tract. de jure personar. &c. lib. 5. cap. 11. num. 30*. Torreblanca de *Magia lib. 3. cap. 20. num. 1*. Vmberto Locatus in *praxi Inquis. ver. suspicio, §. suspectus*. Similiter & alij communiter, adducentes regulam generalem, videlicet quod quando quis committit delictum, quod inducit vehementem suspensionem debet de vehementi abjurare: si autem inducit levem suspensionem, de levi emitat abjuramentum. Sed in casibus particularibus, & in praxi contingentibus, circa hoc DD. Inquisitores eorumque Consultores advertant id quod prudenter, & solide observat Regna in *direct. Inquis. part. 2. comment. 85. in fine*, ubi sic ait: Vnum præ cæteris habeant Inquisitores ante oculos, ne facile credant hunc, vel illum esse vehementer suspectum, quia in hoc, vel illo authore reperiant ex tali, vel tali causa oriri vehementem suspensionem, nam plurimum semper sunt & personarum & causarum circumstantiæ considerandæ, ex quibus interdum vehemens suspicio, interdum levis, interdum, verò nulla oritur. Sic ille. Vnde Michaël Zanardus in *direct. Theolog. part. 2. pr. 1. cap. 1. §. 25*. docet, quod ex consideratione personarum, & circumstantiarum, quandoque vehementes suspensiones convertuntur in leves, sicut è contra suspensiones leves convertuntur in vehementes.

3. Observa etiam hic obiter id quod docet Sotus in *aphorism. Inquis. lib. 2. cap. 40. n. 15*. processum minorum in causa fidei, quando de hæresi formali non constat, non terminari regulariter per majorem abjuramentum, quàm de levi, cum præmatura ætas in dicta causa fidei delicto plurimum detrahatur. Ita ille qui citat Pegnam, quod est valde notandum.

4. Quæro tertio, quanam sint poenæ hæreticis à jure

500. Tractatus XII. De Poenis Delictorum,

RESOL. II.

De Iudæis, Mauris, & aliis infidelibus aliqua crimina perpetrantibus, & quibus poenis supradicti plectendi sunt?

Et an ultra poenas sic in aliquibus casibus illis aliquæ abjuratio indicenda?

Et an Iudæi transientes ad Saracenos, seu ad alios infideles possint puniri ab Inquisitoribus? Ex p. 4. tit. 7. Ref. etiam 2.

§. 1. Nonnulli sunt casus, in quibus Inquisitores possunt procedere contra Iudæos & infideles non baptizatos, contenti in Bulla Greg. XIII. edita ann. 1581. in qua Summ. Pontifex decrevit in §. 2. ut puniantur ab Inquisitoribus Iudæi & infideles negantes quæ habent communia circa fidem cum Christianis, ut Deum unum, æternum, omnipotentem, creatorem omnium esse, aut id alicui etiam privatim infirmantes, vel §. 3. dæmones invocantes, consulentes, eis immolantes, vel thaus & fumigationes offerentes, aut §. 4. verbo, facto, exemplo, aliòve modo nefaria hujusmodi docentes Christianos, vel ad ea perducere tentantes; vel §. 5. Christum purum hominem, aut peccatorem Deive matrem non Virginem, similiter blasphemias hereticas proferentes; vel §. 6. auxilium, consilio, opere, favore Christianum à fide ad impietatem sectas, superstitiones, aut hæresim sollicitantes; vel §. 7. aliquem à fidei, vel Baptismi post ejus declarationem nutu, verbo, facto, aut alio quocumque modo voluntatem retrahentes, dehortantes, impediens quovis modo: aut §. 8. Hæreticos Apostatice scientie receptantes, alentes, commeatu juvenes, associantes, deducentes, vel deducendos & associandos curantes, defendentes, & quomodolibet auxilium, consilium, favorem deferentes, vel facientes ne ab eis perpetrata investigari queant; vel §. 9. prohibitos libros deferentes, retinentes, aut divulgantes, vel ad eam rem operam suam conferentes; vel §. 10. derisioni habentes Christianos, sacram hostiam, Crucem, Christum Dominum, conspuentes, vel facientes quid simile, ovem, agnum, aut aliud quid Cruci affigentes, aut appendentes; vel §. 11. Christianas nutrices tenentes, vel cogentes quando communicant uno, aut pluribus diebus effundere lac in cloacas, aut latrinas. In omnibus his casibus, ut diximus, Pontifex præbet auctoritatem Inquisitoribus procedendi ad verum: his Iudæos, & alios quoscumque infideles, ut observat etiam Ricciellus tr. de jure person. & c. lib. 1. cap. 52. num. 7. Soula in Apher. Inquis. lib. 1. cap. 37. à num. 18. usque ad 27. Scottiam in Bull. Pontif. theor. 347. & alij penes ipsos. Vide etiam circa præsentem questionem Azorium tom. 1. lib. 8. c. 22. q. 12. Campegius in addit. ad Zanichinum cap. 36. lit. B. Simanc. tit. 35. per tot. Canteram in qq. crim. cap. 1. de heret. n. 72.

2. Sed deveniendo ad nostrum institutum, quibus poenis plectendi sint supradicti Iudæi & infideles talia delicta perpetrantes, tradit Pegna in direct. Inquis. p. 2. comment. 69. ubi quatuor poenas numerat, privationem communionis cum Christianis, pecuniariam, carcerem & verbera, neque ab his putat recedendum. Addit verò quòd si atrox sit scelus à Iudæo, vel alio infideli contra fidem patratum, acrior poena eis imponi poterit, ac etiam relinqui poterunt Curie seculari, si nam quoties poena relinquitur arbitrio judicantis, si crimen sit ingens, iudex arbitrium potest extendere usque ad mortem. Ita Pegna, & post illum Calstrus Palaut in sum. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 16. §. 6. n. 1. & Farinacius de heresi, quest. 178. num. 146. & ante illos

jure impostæ? Respondeo poenæ contra hæreticos à jure statutæ hæ sunt. Prima est sententia excommunicationis majoris, quæ spiritualis est, quæ decernitur in cap. ad abolendam, & cap. excommunicamus 1. & 2. tit. de heret. in decretal. & in 6. & tandem ætiori vinculo in Bull. Cœn.

5. Secunda poena partim spiritualis, & partim temporalis, est privatio omnis Ecclesiasticæ dignitatis, officij, & beneficii, & inhabilitas ad ipsa, & habetur in cap. elidicimus, cap. pudenda 24. quest. 1. cap. præter, 32. dist. cap. quo jure, distinct. 6. cap. ad abolendam, cap. excommunicamus 1. de heret. cap. ut commissi, eodem tit. in 6.

6. Tertia poena temporalis est, videlicet publicatio bonorum omnium, quibus privantur hæretici à die commissi criminis, & habetur in l. Manicheos, l. Arriani, C. de heret. in Authen. Gazaros, & Authen. idem est, C. eodem tit. in cap. Iudæi, 1. q. 4. cap. vergentis, de heret. cap. cum secundum leges, eodem tit. in 6. Huic poenæ annexitur alia similis, quæ est privatio omnis dominij temporalis, jurisdictionis & omnis debiti quod ex fidelitate quocumque titulo illis debebatur, in cap. ult. de heret. Poena privationis bonorum extenditur etiam ad filios hæreticorum, sic enim bona ab eis auferuntur, ut filij & hæredes maneat perpetuo spoliati, quod antiquo jure non fiebat, sed bona parentum hæreticorum filiis Catholicis tradebantur, ut patet ex l. Manicheos, l. cognovimus, C. de heret. Authen. idem est, eodem Cod. cap. Iudæi 1. q. 4. Sed jure novo fisco applicantur, ut patet ex Auth. Gazaros, & l. ult. C. de bonis præscriptorum, & cap. vergentis, de heret. & cap. secundum leges, eod. tit. in 6.

6. Quarta poena etiam temporalis est. Quinta, perpetua infamia, in Authen. Gazaros, C. de heret. cap. infamis, 6. q. 1. cap. alieni, 2. q. 7. c. infamis, de reg. juris, cap. excommunicamus 1. de heret. & c. 2. §. hæretici, eodem tit. in 6. huic poenæ annexa est inhabilitas ad omnem honorem dignitatem, officium & actionem civilem, ut hæreticus, nec iudex, nec testis, nec actor, nec tabellio, neque aliud simile esse possit, quoniam hæc omnia infamis prohibita sunt, ut habetur in cap. infamis, de reg. juris, in 6. & in l. 2. C. de dignitatibus, & nominatim etiam hæc hæreticis interduntur in l. quoniam, C. de heret. l. si pupilli, §. videamus, de negot. gest. cap. excommunicamus, 1. de heret. cap. quicumque, cap. cum secundum leges, eod. tit. in 6. quæ quidem poena infamiae extenditur ad filios & nepotes usque ad secundam generationem, ex l. quisquis, C. ad leg. Iuliam majestatis, & ex cap. Quicumque, & cap. statutum, de heret. in 6. quo pacto verò & quousque hæc poena eos comprehendat, explicat Simanca tit. 29. & Covarr. var. lib. 2. cap. 8.

8. Et ultima tandem poena est supplicium mortis, quo tandem plectuntur impenitentes & incorrigibiles, quæ constituta est legibus civ. in l. Manicheos, l. Arriani, l. quicumque, Cod. de heret. & jure Canon. in cap. ad abolendam, cap. sicut ait, cap. excommunicamus 1. de heret. & in cap. super eo, & cap. ut commissi, eodem tit. in 6.

9. His igitur suppositis deveniendum est ad abjuraciones & poenas extraordinarias cuilibet particulari delicto in hoc sacro Tribunali imponendas, quas ego, scit Deus cum quanta diligentia, collegi ex probatissimis authoribus ad sublevandum laborem DD. Inquisitorum, quibus hæc omnia & à me scripta & scribenda humiliter & ex corde submitto.